BIBLIOTEKA
Zakl. Nar. im. Ossolińskich
XVII 2568

12.

ELOGIVM

JLLVSTRISSIMO
& Reuerendissimo Domino,

D. IACOBO
ZADZIK,
Episcopo Cracouiensi,
Senatori de Ecclesia & Patria meritissimo,
Academiæ Cracouień.
CANCELLARIO,
DVCI SEVERIÆ.

In primo ac celebri ad Cathedram Cracouiensem ingressu.

A
M. IACOBO VITELLIO, Tyliciano Eloquentiæ Professore in Academia Crac. Ecclesiæ S. ANNÆ Canonico.

DICATVM.

CRAC. In Officina Francisci Cæsarij, 1636.

546

INSTYTUT OSSOLINSKICH

18.034



Armiſonos poſtquàm feliciter iſta Carina
Tranſmiſit fluctus, difficilesq́; vias:
Iam ſecura legit littus, portumq́; ſubintrat,
Amplius iratos, nec timet Æolidas,
Peliaca hinc cedat pinus, Minyæq́; vetuſti
Rectiùs hæc Regni nauigat Oceano.

XVII - 2568 - II

ELOGIVM.

NOn ſine publica diuinitus effectum eſt fortuna, ILLVSTRISSIME DOMINE; vt nè priùs ſublimem iſtum, in florentiſsima Diœceſi adires honorem: quàm incendia illa armorum, quæ vndiquaque in nos exarſerant, & per latus aliarum Prouinciarum, huic nobiliſsimæ oræ extrema minitabantur: primùm auſpicijs S. R. M. deinde laboribus Tuis, conſilijs, vitæ periculis, ſedares, & reſtingueres. Pridem Tibi, & meritis Tuis, debitum præmiũ, eò vſque fortuna, remorata eſt: vt planiùs & apertiùs homines intelligerent, non dilatum eſſe, ſed ad cõmodius tempus reſeruatum. Interea verò, reddita, atque exorta ex tantis procellis ſerenitate, ampliſsimum laborum Tuorum accipis fructum, non Ciuium tantum expreſsis ſuffragijs: ſed hoſtium etiam apertis iudicijs & votis. Tametſi enim illi à nobis, ſtudijs & animis in illa armorum tempeſtate diſsiderent; iudicio nihilominus congruebant: illi ſcilicet viro deberi omnia, cuius induſtria, opera, fidelitate, omnia quæcunque in Repub. eſſent, dubijs & formidoloſis Patriæ rebus, fouerentur, & firmarentur. Itaque non nemo fortaſsis in hoc primo ad honorem Tuum aditu Tibi obuiam factus, vel in prin-

 cipio

cipio dicendi, hæreat anceps & dubius: num Tibi gratias, pro meritis Tuis, amplissime Patriæ impensis, acturus sit; an recentem gratulaturus dignitatem. Nam & anteacta promerita Tua, ita sunt posita in oculis & quotidianis hominum sermonibus, vt ea præterire, vel ingratæ taciturnitatis, vel superbæ dissimulationis indicium sit: & celebritas gratulantium tàm frequens, vt laudabilis officij neglectus, par crimini nefario videatur. Præstitisti Patriæ laudabiliter non solùm fidem, (quod in optimo Ciue foret satis) sed curam, vigilantiam, consilium, impensè præstitisti. Quæ profectò tanta eluxerunt in Te: vt non raro corporis infirmitatem, quam inter grauissima negotia frequentem esse oportebat, animi virtute, & caritate Patriâ superares. Quamobrem verò quis hanc in Te Patriam pietatem, quantum possit non ornet? aut sum̃a non prosequatur beneuolentiâ? non illustri efferat præconio? præsertim, cum & honos hic Tuus amplissimus, non solum Tibi pro maximis reddatur meritis; sed etiam propter spem reliquorum temporum conferatur. Sed quid dico spem? cùm iam explorata, & omnium oculis testata sint, qualis Ecclesiæ & Patriæ fuisses; vt aliorum spe sustentari, Tuorum verò fructu meritorum gaudere debeamus. Sed nimirum pace Tua ILLVSTRISSIME DOMINE dicam, cùm bono communi, quantùm in Te esset satis profuisses; hic

locus

locus, hæc Tua DIOECESIS, quasi TRIBVS BENIAMIN potior pars in sorte Domini, Te expectat: spe fidelitatis Pastoritiæ se sustentat, quod nō alio animo, non alia solicitudine hîc futurus sis, quàm verò qualis semper in religione tuenda, & DEI cultu propagando fuisses. Hæc spes est in Te reliquorum temporum, quæ recordatione, & solatio Tuorum gloriosè anteactorum, omnia sibi & Tibi fausta, & diuturna vouet, & pollicetur. Nimiùm etenim quàm commutabilis & anceps nuperrimè felicitas nostra fuisset; quibus Præsulum diuturniore frui non datum esset præsentia: sed inter orbitates & angores, quasi inter decumanos fluctus agitari, & fortunæ turbulentissimo impetu circumferri. Tibi meliora & diuturniora hic Clerus augustissimus, & populus, vt de omnibus meritus es, vouet & precatur. Æquum est vota omnium pro illo stare, cuius operæ & vigiliæ, omnium tranquillitati, & publicæ quieti impensæ sunt: & amplius insumi debent. Cuius officium & prouidentia laboriosa, omnibus salutaris & fructuosa fuisset: eius honorem non ingratum omnibus esse oportere. In istis partium studijs me esse profiteor, Tibi officio & Professione obstrictus ILLVSTRISSIME DOMINE. Nam cùm omni memoria dignissimus Præsul TYLICIVS Ecclesiæ & literarum cultor sanctissimus, Tuus olim in hac

DIOECESI anteceſſor, Profeſſorem Eloquentiæ in Academia liberalitate & nomine ſuo ornatum eſſe voluiſſet: etiam ILLVSTRISSIMORVM conſequenter PRÆSVLVM patrocinio commendauit. Scilicet Religioſiſsimus Antiſtes, iam multò antè ſapientiſsimè prouiderat: ſuam, in tàm illuſtri patrocinio in litteras beneficentiam refloreſcere,& renouari debere.

Idcircò Tuus officio & clientela Profeſſor, nunc à Te ILLVSTRISSIME DOMINE poſtulandum duxi, vt me ex ſumma Encomiorum Tuorum copia, quæ Tuis certatim ſudant virtutibus, modica quædam delibare permittas. Non quod cuiuſquam verboſam requiras garrulitatem, præclariſsimis factis à Boriſthene ad Balticum æquor laudatus ſatis; ſed quia omnium interſit, præſtantiſsima Heroicarum virtutũ exempla, grata recordatione propagari. Dicam itaque breuiter, qualis ſemper in Religione tuenda ac propaganda; qualis in Patria iuuanda fuiſſes.

Actionum Tuarum quò laudatiores forent progreſsiones, à primis annis, ſolicitè & grauiter eſt tibi laboratum. Nihil vnquam prætermiſiſti, vt celebritate ingenij, & iudicij maturitate, ante ætatem floreres. Non poſtrema hæc Gymnaſij iſtius Crac: felicitas eſt, quòd Te eò prouectum videat, cuius ætatem bonis literis, & moribus, aliquando Sena-

toriæ

toriæ & Præsuleæ dignitati formaret idoneam. Sed nimirùm bonitas Tua maturiſsimè, ſua ſponte, non tàm alienis præceptis, quàm ſuis inſtitutis: non vllis vitæ offenſionibus, ſed præclariſsimis virtutum exemplis, ad omnia ſe prouehebat, vnde Eccleſiæ & Reipub.ſalutaria conquireret præſidia. Vbi verò hîc tantùm ſtudio temporis datum eſt, quantùm ætas, & ingenij vigor requirebat; Italiam feraciſsimũ eruditionis, & ſapientiæ fontem adijſti. Nihil erat vnde vel Ciuis boni exempla, aut hominis eruditi præcepta deſumi poſſent; quod non primùm explorares induſtria: deinde imitatione, & ſumma ingenij contentione exprimeres. Romæ, vbi ſanctitatis omnis atque religionis Chriſtianæ Sacratiſsimum domicilium ſit, ita verſatus es: vt dum cæteri & annos & impenſas, aut ludicris rebus, aut ſpectaculis, aut oblectationi inſumunt; Tu comparandis, quæ Te Ciuem Principi bonum: Senatorem Patriæ prudentem: Epiſcopum Eccleſiæ fructuoſum efficerent; inuigilaſti. Verùm ego Te ILLVSTRISSIME DOMINE, non exinde vllius præconium, quòd Italiam peragrares meruiſſe exiſtimo, cum populare & domeſticum iam ſit; ſed quia hoc egiſti, vt grauitatem in ætate immatura, moderationem in Prouincia amæna, honeſtatem inter omnia ad otium & oblectationem inuitamenta præteferres. Quàm multi à præclariſsimis cogitatis, in amænitate illa alior-

ſum

ſum deflexerunt: quàm multi ab optimo virtutum Curſu, quaſi ad metas hæſerunt: quam multi peſtiferis ineſcati & circumuenti blandimentis, tanquam ad Sirenios ſcopulos blande amarum naufragium fecerunt. Tu verò Patriæ Te obſtrictum, non peregrinis fucis delinitum eſſe debere prudenter memineras. Reuertiſti feliciter magna Tuorum voluptate, inſigni Tuarum expectatione virtutum; omnes facilè coniectura conſequebantur, qualis futurus eſſes in Patria: cùm perſpicua, qualis apud exteros fuiſſes, antea dares documenta. Atque cùm omnia Te Eccleſiæ & Reipub. loca affari, atq; appetere viderentur: quò conſpectior Tua foret indoles, Aulæ Te, atque Regalibus obeundis obtuliſti officijs. Tale ſcilicet Virtutibus Tuis delegeras theatrum, vnde lumen laudabilium operum, & quæſitus non ſolùm domi, ſed peregrè etiam magnæ dignitatis ſplendor, facilius in omnes Reipub. partes, funderetur, & coruſcaret. Nactus eras per id tempus, eiuſcemodi in Repub. viros, qui ſcirent Tua Virtute, ad omnia officia ritè obeunda, primùm rectè vti; deinde verò eius promerita, atque dexteritatem in agendo, apud Principem laudatiſſimè extollere. Atque in primis ille commemorabili prudentia, & pietate in Patriam MATTHIAS de BVZENIN PSTROKONIVS Supremus olim Regni Cancell. Epiſcopus Vladiſlauień. Idæa

religio-

religiosi Sacerdotis, boni Episcopi singularis norma, Senatoris prudentis perfectissimum exemplar, cuius domus & disciplina (vt reliqua taceam) felicissimum fuit Episcoporum Seminarium; hic inquã ILLVSTRISSIMVS Episcopus animum & affectum, ex primo obtutu ad Te adiecit, nec futuram in Te illustrando irritam operam verissimè prædixit. Nunc ille ad beatam translatus immortalitatem, videt & agnoscit, suorum in Te meritorum fructum gloriosissimum: Videt & summa perfruitur voluptate, eam dignitatem & gloriam in se redundare, qua sunt in Regno ILLVSTRISS. Antistites PLOCENSIS & VLADISLAVIEN. LVBIENSCII, vbi cùm mediocrem & priuatam olim fecisset beneficiorum sementem; lætatur vberrimam & publicam nunc gratitudinis in se efflorescere messem. Reminiscitur in beata immortalitate, quæ olim priuatim de GERENDO RITE EPISCOPATV domesticis dixisset, nunc inter homines gloriosè celebrari & propagari: Atque hæc non in charta duntaxat atramento doctè exprimi; sed in vita & moribus sanctè viuendo efformari. Hic itaque Antistes, Ecclesiæ & Patriæ ornandæ diuinitus datus, priuatim & publicè omnibus fructuosus, oraculum vnum Reipub. cùm grauioribus Tuam felicissimè exerceret officijs indolem, dignum magnopere iudicauit, quem Regalis munificentia, &

gratia publico honeſtaret officio. Non defuit Princeps, vt in agnoſcendis cuiuſque virtutibus perſpicaciſsimus, ita in ornandis munificentiſsimus, SECRETARIVM Maiorem fecit. Hic Tu non Tibi ſed communi bono, & muneri fideliter obeundo, velle viuere, omnia negotia ad Sacram Maieſtatem promptè perferre, neminem Tuo acceſſu, & affatu arcere, ſuperiores honore & obſequio, æquales comitate & affabilitate Tibi deuincire, officij Tui eſſe duxiſti. Nihil erat quod ſcire Principem oporteret, quod vel ad gratiam, vel potentiam alicuius diſsimulare velles. Proinde tàm ſingularem fidelitatem, tàm perſpectam in eo munere vigilantiam, maiore oportebat præmio honeſtari, & illuſtrari. ViceCancellariatus Tibi datus, officium illuſtre, & meritorium magnoperè: in quo gerendo, quid DEO, quid Patriæ deberes, hoc vnum aſsiduo cogitaſti. Nimirum vt Pericles ille, ſublimi apud Ciues ſuos decoratus honore, faſces & purpuram intuens, muneris ſui laudabiliter obeundi admonebatur; ita & Tu, INSIGNE illud Regni, fidei Tuæ permiſsũ, cùm in manus ſumeres: non minus Tibi amplitudinis, quàm laborum, quàm officij, grauiter & cũ dignitate defungendi, veniebat in mentem. Arduum enim illud eſt munus, quod Regali præeſt ſcripturæ fideliter ſubditis exhibendæ: ornatè exteris proferendæ: nè quis alicuius machinatione dolus,

ad alienum obrepat detrimentum; nè quis authoritate summa, ad quæstum aut cupiditatem suam abutatur; nè quavis legibus, aut publico iuri inferatur; quod publica Ordinum consultatione sancitum sit, vt nè in lucem lituris vitiatum proferatur: quibus omnibus religiosè cauendis, VICECANCELLARII fidelitas & vigilantia requiritur. In quo munere officiosè & prudenter agendo, ita versatus es, vt DEVM omnium Tuorum factorum, testem & arbitrum Te habere meminisses. Accessit ad graue hoc, & laboriosum officium VICECANCELLARII, pastoralis solicitudo, cùm EPISCOPAM CVLMENSEM Dei vocatione, & Regiæ Maiestatis voluntate nactus esses. Magna dignitas, magnus honos, splendor illustris: sed in hoc externo & populari plausu, non modicum angoris & molestiarum insidet: vbi omnia ad sanctioris officij regulam reuocanda sunt. Ingens idcircò Tibi obiecta cogitatio, singulare diuinitus datum incitamentum, vt DIOECESIM illam, quæ dissidentium à religione distractissimis ab inuicem erroribus, vehementer laboraret, Pastorali officio tuereris, Cleri honestate etiam aberrantes ab Ecclesia vt reduceres. Inde primam Clero ad grauitatem & vitæ sanctimoniam restituendo, operam solicitè impendisti; cùm indiceres, cauerent semper, nè factis suis ad inuidiam Ordinem adducerent: nè quasi

ſcopulos ſe exhiberent, ad quorum actiones alij non mediocriter offendant; hoc legibus, hoc pænis, & autoritate Tua, ſancires, ordinares. Verùm, non ſolùm edicto, ſed etiam exemplo Tuo omnibus præibas, vt illi morum integritate ita prælucerent: quatenus eorum honeſtate, & temperantia, errones illi, ad vnitatem Eccleſiæ & ſanctitatem reducerentur. Fuiſti velut alter populi DEI Princeps & Propheta Samuel, qui à DEO inſtitutus vt præeſſet, non ſolùm in his quæ temporanea eſſent: ſed etiam in illis, quæ ad DEVM referrentur. Primam inſtaurandi cultus diuini curam diuinus ille vir egit, ſuoſque hortatus eſt, vt ſcelerum & idololatriæ inſtrumenta ponerent *Baalim* ſcilicet & *Aſtaroth*; vt in eius vnius ſe poteſtate meminerint eſſe: à quo vitam, fortunas, libertatem accepiſſent. Ita Tu religioni ſanctæ propagandæ apud eos populos quorum magna pars, prauis opinionibus diſtracti: ſuo, DEI Maieſtatem metiuntur cerebro: omnem Tuam operam, & cogitationem impenderas, vt cum ſanctiore Eccleſiæ congruerent ſenſu: vnis moribus, legibus vnis, cultu DEI vno viuerent; ita Præſulis boni & Patris indulgentiſsimi apud eos officio perfunctus es. Et quidẽ Præſulis cùm moneres, quantis circumſideantur periculis, niſi ad mentem ab erroribus reflexerint meliorem; Patris verò, cùm tanquam filios carita-

te magis

te magis induceres, quàm ſeueritate coërceres: non acrioribus remedijs magis, quàm ſalutaribus medijs eorum ſaluti ſubueniendum eſſe velles. Exinde cùm non niſi venena, ex illis peſtiferis, non ſcholis, ſed lacunis ſuorum impuriſsimis haurirent; Tu Gymnaſium ex quo ſanioribus formarentur ad veram religionem, & Chriſti agnitionem præceptis, iam extruendum, Doctores vocandos, ſapientiſsimè, & ſalutariter cogitaſti: niſi hoſtilium armorum inopinatò incumbens tempeſtas, omnia perturbaſſet. Sed neque in formidoloſiſsimo illo caſu benignitas Tua, à Tuis abfuit populis: quando quod hoſtis vaſtitate, rapinis, & omni iniuria deformaſſet; Tu reficiendis illis, & ab extrema conſeruandis calamitate: omnem Te, conſilio, auxilio, opera, ſtudio, ita impenderas; vt maiorem ex Tuo affectu, & animo inclinato conſolationem; quàm ex impetitione illa, incommodorum accepiſſent. Cùm non ſolùm calamitatem detraxiſſes: ſed etiam rem eorum abundè de Tuo auxiſſes, & inſtauraſſes. Vexati colonorum in Tua ditione fundi, Tua bonitate, & liberalitate iterum recreati: abacta pecora, Tuo peculio rurſum reſtituta; fugati, diſsipati coloni: Tua deinde munificentiâ (cùm fame & eſuritione perire velles neminem) veteres reuocati in colonias. Nihil itaque furioſa illa vis egiſſe videbatur; cùm clementia Tua, auxilio non deforet vnquam maturato.

to. Quod ſi vllo tempore Tuam prudentiam, & beneficentiam, DIOECESIS illa requirebat: illud profectò fuit tale, quo & religioni ſanctæ, ſublato ab Eccleſijs vaſtatione fundorum Clero, detrimentum accipiendum, & mutum ſilentium expectandum fuit; aut grauiſsimè fortuna Epiſcoporum attrita, & exinanita, reſtitui in priſtinum ſtatum, & releuari nunquam poſſet. Vtrumque ſapientiſsimè arcuiſti diſcrimen, ab Eccleſia vaſtitatem, & dolendum ſilentium: ab Epiſcopali fortuna periculum extremum. Non enim eo adieras tam nobilē DIOECESIM animo, vt Tuam abinde ſectareris commoditatem, verùm vt illi Eccleſiæ per Te commodiſsimè poſsit eſſe; vt laboribus Tuis, vigilijs, eius quieti ſalutari, & cultui Diuino ſanctiori melius prouideretur. Proinde vt Te totum ſancto illi cultus Diuini ritè promouendi, addiceres officio; miſsionem etiā ab Aula ſolicitè poſtulaſti: vt ſoli DEO vacares, vt nè ſæcularia diſtraherent Diuinis operantem negotia: cùm alia fori vis eſt, alia templi, alia lux Solis, alia lychnorum, alia Curiæ, alia Eccleſiæ officia. Atque hæc poſtulatio fuit, non fucata forenſi ſpecie: ſed domeſticis inuſta modeſtiæ, & veritatis notis. Sed DEVS Opt: Max: qui Te in eo loco viderat fructuoſum magnopere, nollebat permittere abinde diuelli, vt alijs etiam in eo loco valde quā lubrico, & ancipiti, fores exemplar omnis æquita-

tis,

tis,grauitatis,temperantiæ. Oportunum adhæc fuit, vt Princeps haberet, cuius opera, & consilio in arduis vteretur negotijs: frugi hominem, & in omnibus vitæ partibus moderatum, plenum pudoris, & officij, vt nè amitteret aula. Fuisti itaque DEI voluntate, toto tempore in Aula, quasi in Ecclesia, ea moderatione,& honestate; Principem quasi DEVM terrestrem, & munus ritè perficiendum præ oculis & assidua cogitatione habens. Secutus es laudabili exemplo grauem aliquando & veracem Regis Dauid consiliarium *Chusai*, quod est prudens silentium, non perfidiosum *Achitophel*, quod est fratris ruina. Hoc enim egisti, vt in Tua fortuna, & gratia Principis, qua semper pollebas, prodesses omnibus, noceres nemini: vt nè Te honoris opinio cæteris præferret: sed humanitatis facilitas omnibus comem & affabilem præstaret: vt quemlibet, etiam inferiore loco, eadem prosequereris beneuolentia: & nè cuiquam ad Te aditus arduus, aut interclusus videatur. Locorum itaque tantùm, non officiorum Te ratio distinguebat, cùm ita in Curia ad aram legum, in oculis Principis versareris; vt à sanctimonia, & officio Episcopali, atque solicitudine Tui ouilis, abesses nunquam. Testantur fundorum ex vastitate hostili quasi noua instauratio, populo in fame & esuritione, alimonia subministrata: à templis solitudo, & silentium prohibita. Sed neque hæc tantum, quæ

cui-

cuiquam minora fortaſsis videantur; niſi illud celeberrimum clariſsimumque Epiſcoporum LVBAVIÆ domicilium, quod vetuſtas & temporis iniuria deformarat: ſumptu Tuo non modico, artificioſa operarum molitione, tecto auguſto, aurato lacunari, parietibus ornatiſsimè pictura, & marmore celato diſtinctis, incruſtatis, pauimento ſplendidè vermiculato, ad gratiam reconcinnares, interpolares, reſtaurares. Diuina quædam loco illi acciderat fortuna; Te interea ad gubernaculum eius conſtitui, cùm maxima armorum hoſtilium incumberet tempeſtas, exercitatiſsimis etiam gubernatoribus metuenda; cùm Hæreſis commodè datam ſibi oportunitatem, qua Eccleſiam omnibus machinis appeteret, exiſtimauit. Tu verò vt Nauarchus prudens, nè integrum, aut vi procellarum, aut ventorum furore obrueretur nauigium: in magna conuerſione, & perturbatione, non tàm pernicioſis illis moribus quidquam dandum; quàm formidoloſis parendum temporibus ſapienter cenſuiſti. Conſequente verò tranquillitate, atque fluctibus illis conſileſcentibus, hoc maximè egiſti, vt quæ eſſent iniuria hoſtili diſsipata, colligeres: infracta conſolidares: ſuis deturbata locis, in antiquum reſtitueres ſtatum. Sed quò planius teſtata foret Tua in Eccleſiam voluntas inſignis, Cathedrali Culmenſi Eccleſiæ, de demenſo Tuo, Canonicum I. V. Doctorē

proui-

prouidisti. etiam qui rem diuinam facerent, cæteraque in Ecclesia officia exequerentur, Vicarios perpetuos vocant: illis villam iure donationis asignasti. Tàm religiosè, tàm solicitè & sumptuosè cultui diuino prospectum esse in loco illo voluisti, vt non Tuis commoditatibus, quàm Ecclesiæ, & populi necessitatibus, seruire videreris. Vnde profectò recognoscere palàm homines illi possunt: quicquid rei sacræ, iniuria hostili intactæ ibi foret: quicquid Cleri in maxima armorum trepidatione superfuisset; hoc vnum deberi virtuti, & autoritati Tuæ. Quæ res vt maximæ sunt, ita meritis suis, gloriæ immortali, & diuinitati propiores. Nam eorum cogitationem in se suscipere, non quæ fugacia, caduca, & breui interitura sunt; sed quæ nulla temporis aut vetustatis memoria aboleantur, & in posteritate crescant, fama populorum celebrentur, viuant in sensu, & omnium admiratione: hæc diuina, hæc omnium triumphis anteferenda. Non commutabilem autē Tuum in diuinis reb9 & cælesti sanctitate vbiuis promouēda animum, loquitur illud augustum & operosum impensis Tuis in villa hæreditaria DRVZBIN extructum templum, & nomini gloriosissimo Deiparæ Virginis dedicatum: sacra supellectili, vasis preciosis, ad splendorem munificè instructum & exornatum. Immortale hoc, & semper ob præstantem Tuam in Deiparam pietatem victurum monimen-

tum erexisti, & quasi illustre, Tuæ in DEVM & Sanctissimam eius genitricem, compendium religionis. Intuebitur hoc posteritas consequens, & in Tui memoriam longissimo veniet æuo, hoc augustum sacratissimæ Virgini & Matri DEI ædificium, ab Episcopo illo extructum, qui omnes in Patria & Ecclesia functiones gloriosè & laudabiliter peregisset. Extructum verò in hæreditario fundo, vt omnibus fieret planum, in lauta & opima sua fortuna, non fuisse vllam sibi hæreditatem potiorem: quàm religionis, & cultus diuini propagationem; vt etiam posteri intelligant, quibus gradibus, ad similem apud DEVM gloriam, & apud homines opinionem sint ascensuri.

Hæc ergò sunt ILLVSTRISSIME DOMINE, quæ DEO sanctè & religiosè præstitisti: ad præsentem memoriam iucunda, ad posthumam gloriosa. Proferet Te ætas consequens, quæ incorruptius & sine affectu iudicabit, proferet inquam ad omnem immortalitatem, Te in cultu cælesti propagando, solicitum fuisse Episcopum, fidei veræ, inter corruptas & turbulentas, fanaticorum erronum de DEO opiniones, arcem & vigilantem Patronum; hominum egentium in magna rerum omnium conuersione, nè extrema paterentur, Patrem & Pastorem.

Quantùm verò de Patria meritus sis, res testatior omnibus est, quàm vt vllis opus habeat argumentis.

Si qui-

Si quidem non verborum coloribus, se merita Tua ad populum venditant: quàm vtilitatibus publicis celebrantur. Hoc enim Tibi in primo ad Rempub. ingressu laboratum est, vt honore primùm dignus viderere: deinde vt laudabili existimatione omniū floreres: insuper vt interea nomen Tuum celebre existimares, si dignitati Tuæ testimonium, non ambitioni beneficium datum esse existimares. Et quis ita peregrinus in Patria fuit, cuius aures in peruagato sermone de Tua in Regnum fidelitate, non versarentur? in cuius mentem & oculos labores Tui quos pro Patria adires, non palàm incurrerent. Nā vt alia prætercam quibus in Regno gloriosè perfunctus esses officia; hoc Cancellarij tale fuit, vt à summis laboribus, nè respirandi quidem liberè Tibi facultas concederetur. Etenim non multò post, ex quo munus hoc exorsus esses: luctuosum & formidolosum tempus inciderat Patriæ orbitatis, vel INTERREGNI, quo omnia fatali necessitate amisso Principe, hinc inde impendentibus periculis, non mediocriter fluctuabant. Te verò tametsi publica orbitas perculisset grauiter, status ille tamen animum non deiecit, vt comploratam communem arbitrareris fortunam. Si quidem nunquam melius Tuam dexteritatem & fidem, quàm in tuenda & conseruanda communi salute collocari posse existimasti. Exinde hostium consilia in nos cognoscere,

exterorum populorum animos adiungere: aliorum allicere beneuolentiam: limites præsidijs munire: tranquillitati domesticæ prospicere, consilio, opera, studio, Patriæ non deesse: atque in omnes Reipub. partes acriter intendere, Senatoris boni officium censebas. Nullus à Te labor in negotijs publicis, vt CANCELLARII prætermissus, nulla fortitudo in periculis arcendis, vt Præsulis boni desiderata: nulla caritas Patria, vt Ciuis boni requisita; cùm omnia solicitè, animosè, amanter, quæ interim Patria flagitaret necessitas, transigeres. Hæc primò sunt caritatis Tuæ in patriam, in arduo CANCELLARII officio iacta fundamenta: quibus illustriores multò, & operosiores superimpositi labores. Namque posteaquam DEI voluntate, & summo nobilissimorum Ordinum consensu SERENISSIMVS REX designatus, & populi acclamatione approbatus: vbi tempus Regali coronæ sacro capiti inserendæ appetijt, in ea hominum ex vniuerso Regno confluentium celebritate, & frequentissimo conuentu, operosius Tibi multò fuerunt omnes industriæ vires intendendæ, vigilandum multò acrius, cùm pro dignitate Reipub. tùm pro Tuo officio. Namque Tuum erat disceptandis quotidiè maximis negotijs, in Senatu interesse, rerum consultatione quærendarum capita proponere: Regis nomine grauiter & prudenter responsa dare, legationes ex-

terorum

terorum populorum, REGIS & Senatus autoritate, dextrè expedire. Quanti autem laboris fuit, Ciuitatum, oppidorum, municipiorum, finium, posessionum, iura & priuilegia, Sacrosanctâ noui Regis autoritate confirmanda, videre? & quàm ex vsu publico sint, an rata & fixa oporteat esse, expendere? quorum permulta, tametsi mutuâ Tuorum opera perficerentur; Tuam tamen cognitionem, fidem, & prudentiam, quò stabiliora forent, requirebant. Quæ Tu ita exactè, accuratè, etiam cum periculosissima offensione Tuæ valetudinis cognita esse volebas: vt omnes intelligerent, quem haberet Respublica CANCELLARIVM, & cui populus ille iurium, & immunitatum suarum, permitteret cognitionem. Graue fuit & tædiosum, priuilegiorum ad Te collatorum, in multitudine confertissima, aceruos videre, & eorum quæ in diuturna obscuritate, & situ dudū squaluerunt, afflari putore, haurire graueolentiam, nec minutas literarum notas aut interpunctiones, nè quid fraudulentiæ obtendatur transilire: & ea summa animi & corporis contentione, peragere, felicitatis & fidelitatis Tuæ fuit. Et quidem labor hic ita Te afflixerat, vt etiam in graui illo morbo Tuo, sub Comitiorum Coronationis tempus, non mediocriter incolumitati Tuæ metueremus; quem tantò ardentius votis omnibus & sanctis sacrificijs, superstitem precabamur: quan-

tò impenſius Tu pro Patria, pro dignitate, pro publica neceſsitate, ipſum Te, vel ad ſupremum deuoueres diſcrimen. Illud tamen in valetudinis incommoditate ſpectandum in Te fuit, quod corporis imbecillitatem, magnanimitate ſuperares. Non enim in Tua poteſtate fuit, non languere corpore: ſed illud fuit, animum corporis debilitate non fatigari. Meminimus *Licinij* & *Fabij* Romanorum, quos cũ aliquando pertæſum eſſet laboris continui, cui per incommodam valetudinem ferendo iam pares non eſſent, ſe apud Senatum excuſaſſe: ſibi nimirùm vires corporis affectas, ſenſus oculorum, atque auriũ hebetes, memoriam labantem, animi vigorem ætate obtuſum; proinde vicariam aliorum pro ſe operam Reipub. offerre. Tui verò corporis infirmitas, maiore animi vigore ſuſtinebatur, contra omnem languorem; nam quò grauior alter videbatur, eò fortiorem Te alter efficiebat. Ferunt Pöétæ, qui vitæ humanæ ritè traducendæ officia, ſub alienis perſonis effinxerunt, *Deucalionem* & *Pyrrham*, homines quos aliquando magna aquarum elluuies obruerat, iactis lapidibus iterato ad vitam ſuſcitaſſe. Quo commento illud in ſenſus omnium imprimere volebant, eum qui humanam viuere velit vitam, non pecorum more, in otio, & vmbra langueſcere; ſed laboriosè ad gloriam contendere: nè verò labori ſuccumbat vnquam, ſaxeum & lapideum eſſe oportere.

Conſi-

Conſimili modo Tu ILLVSTRISSIME DOMINE, ſcopuli inſtar, quem fluctus creberrimo impulſu, impetunt fruſtra, obduruiſſe videbaris, contra tot, tàm varios, tàm differentes labores. Cùm ſcires, cuſtodiam famæ, magnum eſſe laborem, cùm intelligeres, ſine labore & cura, nihil expetendum, aut glorioſum poſſe parari nihil. Incredibile enim eſt, & miraculo propè ſimile, tot Te difficultatibus ſuperſe; & vtinam ſuperſis diu optandum. Ægrè aliquid virium à grauiore morbo colligi poterat, antequam integrè quod diu laboraret, inſtauratum eſſet: iteratò patria neceſsitas Te maioribus extra Regnum periculis tolerandis, obijcebat. Eundum in Moſchouiam contra Regnum tumultuantem fuit; valetudo excuſabat: ſed fidelitas, & Tua prompta ſemper in Sereniſsimum Regem voluntas requirebat: & admonebat, nefas, recens fauſtè inauguratum Principem deſeri: communem fortunam cum ſacro capite ad ludibrium & libidinem hoſti perduelli, dedi probroſum: hinc priuata quietem ſuadebat commoditas, inde publica reuocabat vtilitas. Vicit tamen Principis Maieſtas, priuatas rationes: vicit publica dignitas, domeſticam commoditatem. Acceleraſti iter, dediſti Te comitem S. R. M. etiã difficultatum, laborum, periculorum, quæcunque in hoſtico ſubeunda erant ſolo, participem. Quæ aduerſa ita prudenter tuliſti, ita officia omnia ſa-

pienter exegiſti, vt interea Principi nouo, tàm opportunè datus, & à bona fortuna in commune auxiliũ cõmodatus viderere. Et tametſi cuniculis illis galeatis, qui ſe altè in terram infodiſſent, ſatis erat Sarmaticas oſtendere Aquilas, & celeriter victoriam maturare: tamen & illa celeritas, alieno in ſolo, inclemente ſub cælo, hyemis acerbitate maiore, nimis prolixa videbatur. Hyemandum erat ſub pellibus: niuibus altis ſupernè oportuit operiri; iactis ab hoſte deſuper mollibus, quaſi montibus reuulſis pulſari: non cibum, non locum quietis vllum, non horam, mortis formidine vacuam habere: Adde, quòd ferendum erat, aures Muſis aſſuetas, clangoribus bellicis perſonare: & fulminibus hoſtilibus perhorreſcere. Quæ tametſi acerba, & dura videbantur, ea tamen Patriæ caritas, fidelitas Tua in Principem, atque publicum officium, leuiora faciebant. Vt hoſtium caſtra feliciter aliquando adoriretur, Græcorum inſignis bellator Diomedes, Vlyſſem cautum & prudentem, eius laudis ſibi adſciuit ſocium: cùm in bello, auxilium & conſilium, mens & manus, animus, & gladius requirantur. Ita potentiſsimus Rex frangendis hoſtium machinationibus, Tua prudentia, & conſilio vti volebat; vt ſcilicet eorum vis, & fortitudine armorum comprimeretur: & temeritas ratione coërceretur; & cogitata nefaria, Tuis prudentiſsimis eluderentur conſilijs. Laudabile

dabile

dabile Tibi fuit, & euentu ipſo glorioſum, animos barbarorum armis ſuis, & foſsis præfidentes, veteribus in nos odijs innutritos, orationis Tuæ potentia, ad deditionem flectere, armis exuere, ad pedes S. R. M. ſupplices abijcere. Cùm palàm diceres, agitari eos furore violati iuſiurandi, quod ſacræ Maieſtati dediſſent, ad pœnas eos à Deo depoſci, rupti fœderis, confractæ amicitiæ, elect. Principis, perfidiosè poſthabiti: ſcelus hoc parricidij, ſumptorum contra Sereniſsimum Principem armorum, non aliter quàm ſanguine ſuo luituros. Quæ tùm facundia, quæ orationis fuit potentia, vt furorem illorum hoſtilem, ſanguinis Sarmatici appetentem nimis, coerceres; odijs diuturnis flagrantes mitigares? ad Clementiam S. R. M. poſtulandam induceres? hoſtilitatem in amicitiam, perfidiam, in fidelitatem, cupiditatem vindictæ, in humilem ſubiectionem traduceres? Et quamuis armorum metu, & potentia Sereniſsimi adigerentur ad deditionem, fuit tamen belluis illis quædam inſana & obſtinata, vel moriendi in ſuis foſsis cupiditas, niſi Tu acriora victoriæ ſupplicia, lenioribus temperares remedijs. Non minùs ergò Potentiſsimi victoris clementiam, quã Tuam dicendi vim, vbi ſe hoſtis ex furore collegiſſet, admiratus eſt: qui eos quos ſua temeritas, ad extrema quæque præcipites impellebat, prudentia Tua, à turpi & miſera conſeruaſti internecione.

Quamobrem itaque Patria Tibi ſumma quæq; non debeat? quòd res in hoſtico ſolo grauiter perturbatas, & propè ad periculum illius, triúm prouinciarum, oræ amittendæ, inclinantes, optimè & commodiſsimè componeres? quòd alleuationem vexato acerbitatibus continuis populo, hoſtili mitigatione prouideres. Verùm vtlibet hoc graue bellum fuiſſet, quod alieno loco, & tempore, & longiùs diſsita in Prouincia gerendum fuit; tamen cum illis res erat, quos conſilijs, agendi celeritate, tot victoriarum felicitate longè anteiremus. Cùm autem in Pruſsiam ventum eſt, contra eum hoſtem, quem ſecundiores (tametſi iniuſti) cùm apud nos, tùm in Imperio ſucceſſus, & fæderatorum adlecta auxilia, animi aliorum à nobis diſtracti, & inſeſſa præſidia, inſolentem & inflatum faciebant; tamen & in eo hoſte edomando prudentia, & fides Tua, laudabiliter ſpectata. Datum Tibi à Sereniſs. & Republica negotium, vt cum hoſte priuſquam caſtrenſia concinerent ſigna, conſilio experireris: quod optimo, & laudatiſsimo exegiſti euentu. Namque vbi dies, vtriuſque habendi conuentus dicta, rationibus Tuis, prudentiæ, autoritati, quonam modo contraueniret hoſtis non habebat. Et licet diē plerumque deliberatione prolixiore eximeret, aut differret negotium; tamen Tuis prudenter cogitatis, plurimùm in rem Patriæ concedebat. Nullam

enim

enim rem probandam ſuſcepiſti, quam non dilucidè demonſtrares: nullam improbandam, quam non ex hominum opinione etiam altè inſidentem euelleres, elideres. Itaque, tametſi armatus hoſtis, irarum & furoris in nos plenus eſſet; fuit tamen in Tua, dum quidlibet ſuaderes, poteſtate: cùm in eius animum pertinacem, opinione victoriæ ſupra modum elatum, oratione & potentia dicendi penetrares. Idcircò antequam Aquilæ caſtrenſes motæ, antequam acies inſtructæ; Tu Prouinciam illam hoſtili acerbitate vexatam & inſeſſam, præſidia occupata, ſine ſanguine, ſine cæde, auſpicijs Sereniſsimi REGIS, & Tuis conſilijs, extorſiſti, vindicaſti. Glorioſior hæc nobis procul dubio victoria, in qua gladium vagina, vacuum propè non vidimus, maximum tamen victoriæ fructum, ſumus conſecuti. Humanius longè iſtud vincendi genus, quo non campi cadauerum aceruis integuntur. non fluuij ſanguine humano colorantur, hoſtis tamen loco ſuo pulſus, fugatus: nec prius ſe victum ſenſit, quàm vbi fuiſſet, quid amiſiſſet, ſerò intellexit. Proſpexiſti hoc prudenter ILLVSTRISSIME DOMINE, ciues Patriæ, ſtare debere, tanquam in Orbe aliquo Reipub. qui quoniam perpetim verſetur, eam partem vt eligant, in quam eos patria vtilitas ſaluſque conuerterit. Tranquillitatem idcircò Reipub. conſilio potiùs, quam vi comparaſti, pa-

catam maluisti, non cruentam victoriam; cùm felicior multò sit pax ab hoste volente oblata: quàm multò reparata sanguine. Verùm & hostis rationes Tuas potius, quàm fortunam suam sequi maluit: veritus, nè tot annorum ex animo successus, in vnius horæ daret discrimen: cùm nunquam minus, quàm in bello respondeant euentus. Itaque non solùm Patria Tibi eius commissionis felicem successum debet; sed hostis etiam se, consilio, rationibus, à prudentissimo interim CANCELLARIO victum, & quasi tenacioribus adstrictum vinculis, gloriatur. Quoties enim admiratus Tuam in dicendo grauitatem, expleri sermone Tuo non potuit? quoties suorum oblitus armorum (quasi fera bellua Orphei suauitate delinita) in vnius, pacem suadentis vultu, defixus stetit. Cùm audiret legum & iuris eximiam scientiam, exemplorum ex omni antiquitate collectorum copiam, eruditionem tanto Senatore dignã, celeritatem & breuitatem, cùm respondendi, tùm sui lacessendi. Atque ea omnia, subtili venustate atque vrbanitate ita condita, vt difficile discernere posset, potentiorné in vincendo temerario, an suauior in deliniendo eius animo fores. Nec potuit inuidia procul, ille penes quem potestas armorum Sueciæ fuit, dissimulare: se magnoperè semper deliniri suauitate & venustate Tuæ affabilitatis, etiam, omnẽ cibi & potionis necessitatem (vbi facultas Tui audiendi

diendi

diendi ſit) ſe Tali poſthabere dictioni. Vnum eſſe virum talem, qui ſciat inflammatos ad arma, ad cædem, animos prudenter ſedare, & ſegnes ad quiduis agendum, dictionis vi excitare. Vnius ſermonem bellorum fulminibus validiorem: cùm in animos etiam hoſtium penetret, eoſque ſuo moderetur arbitrio, quod bellica vis ægrè perficere potuiſſet. Eam ob cauſam cum cæteri victores, vrbium, prouinciarum ſimulachra, in triumphis ducant: Tu animis hoſtium ſubactis triumphas, longè nobiliori gloria, quò nobilior victoria. Atque iſtius laudis, vel illud inſigne eſt teſtimonium: quòd cùm cæterorum non abſtineret hoſtis fortunis lacerandis, à Tuis poſtmodùm, vbi Tuam dignitatem cognouiſſet; non ſolùm manus, ſed etiam oculos cupiditatis cohiberet. Cùm nefas duceret, eius eſſe violentum prædatorem, quem ille ſibi pacatè, manſuete ſubegiſſet. Et quàm multos mihi dabis ex omni etiam antiquitatis memoria, de quibus tàm congruēter, concordi ciuium & hoſtium conſenſu lata forent iudicia? qui vtrorumque animos mirifica quadam deuinciret arte; ciuium quidem fidelitate & caritate: hoſtium verò, ſingulari in uictos benignitate, comitate, affabilitate?

Quamobrem, cùm pro religione & Deo, impensè ſolicitus ſemper eſſes, cùm patriam ex periculis maximis extraxiſſes; fruere magno labore quæſitâ

gloriâ, conſcende ſublimem iſtum in locum: progredere florentiſsimus beneuolentia omnium, in vrbem hanc, quam Tibi, cum vniuerſa DIOECESI Deus Opt: Max: in illis quæ cæleſtia ſint, permiſit gubernandam. Summa in Te autoritas, mirificus rerum vſus, feliciter in reficienda ſalute communi, dicta, & facta Tua ſunt verſata. Idcircò in Tua ad hunc locum diuturna expectatione, iam quaſi multò ante fata quædam felicia concinebantur, fortunatiſsimam tanto Præſule, DIOECESIM futuram. Sed neque eſt quiſquam nunc, qui non honoriſicentiſsimè de Te ſentiat: Senatus palàm, equeſter ordo acerrimè; omnes boni, propriè enixeque omnibus votis, & ſtudijs proſequuntur. Academia quoque Te ILLVSTRISSIME DOMINE vt Patronum & Tutellarem, ſubmiſsè veneratur: cui diutiſsimè, pro eius in ſe incredibili affectu ſit obligata, eidem nunc præſenti, ſe totam magnam cum veneratione, vouet & conſecrat. Pridèm Te nobis natura Tua inclyta beneficum fecit, eiſdem nunc Deus Opt: Max: Epiſcopum præfecit, CANCELLARIVM Reſpublica deſignauit. Ex Tuis antecedentibus in nos fauoribus, præſentem noſtram non dubia ſpe metimur fortunam: quod Tua præſtanti autoritate, grauiſsimo iudicio: & dignitas, & ſucceſſus literarum, fouebuntur. Nam qui nobis protectionem largè pollicitus eſſes, ac ſemper benignè

præſti-

præſtitiſſes, nunc cùm in oculis, & auribus Tuis omnia erunt, quæ ad propagandam, aut inſtaurandam literarum vtilitatem pertineant; facturum Te beneuolè, & clementèr confidimus. Quo pacto viuet in Te, vt Reipub. tuendæ, & cultus diuini propagandi, ita & literarum conſeruandarum exemplum. Antiſtes ſacrorum es, literæ autem ſunt quædam res ſacra: religioni ſanctiſsimæ hac in DIOECESI ſupremus Pater, literis autem religio ornari & firmari ſolet. Et quidem, tali eſſe exploratum omnibus eſt apud Te loco literas, vt non paucos ſumptibus Tuis ad eruditionem & ſtudia excitares. Hic ergò Tuus in literas inclinatiſsimus animus, & perſpecta Tua in nos beneuolentia, ſpem nobis faciunt eximiam, Te Præſule, literis noſtris ſplendorem priſtinum, & honorem reſtitutum iri.

Quod reliqum eſt hoc vnum Vniuerſitas noſtra Tibi ex animo vouet & precatur; vt cùm omnes in Repub. honores, ſummâ cum celebritate, & omnium approbatione feliciter exegiſſes, tantùm habeas à Patria gratitudinis; quantùm illi præſtitiſti pietatis. Tantùm à ſupremo DEO pro Tua in Patriam caritate, præmiorum: quantùm habes in Regno hoc florentiſſimo, meritorum.

DIXI.

INSTITUT OSSOLINSKIEGO
8121/II

8121
11